Christiani Kisii äo 97. d. 25. Junii

Sum Chr[illegible]
ad 1686. 3. Xbris.

vide Dreieri Diss. c. Pontificios de hac mat.ia ao 1649. editam p. 831.

# DISPUTATIO
# INAUGURALIS
## CONTRA SOCINIANOS,
*Super dicto Christi Joh. XVII, 3:*
**Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.**

QUAM
Supremo Numine adsistente,
& autoritate Amplissimi Senatûs Academici,
**PRO LOCO EXTRAORDINARIO**
Professionis Theologicæ in Acad. Regiomontana
obtinendo,

*Publico Eruditorum examini subjicit*
**MARTINUS SILVESTER GRABE,**
S. Theol. Licentiatus,

*RESPONDENTE*
**JOHANNE ALBERTO THILONE,**
Marggrabovâ-Borusso.
*Ad diem Martij horis matut. & pomerid.*

---

REGIOMONTI, ANNO MDCLXII.
TYPIS JOHANNIS REUSNERI, ELECTOR.
ET ACAD. TYPOGRAPHI.

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO
PRINCIPI ET DOMINO,

# DN. FRIDERICO WILHELMO,

MARCHIONI BRANDENBURGENSI,
S. R. I. ARCHICAMERARIO ET PRINCIPI ELECTORI,
MAGDEBURGI, BORUSSIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ, MONTIUM, STETINI, POMERANORUM, CASSUBIORUM, VANDALORUM, CROSNÆ, ET CARNOVIÆ IN SILESIA DUCI,
BURGGRABIO NORIBERGENSI,
PRINCIPI HALBERSTADII, MINDÆ ET CAMINI,
COMITI MARCÆ ET RAVENSBERGI,
DOMINO IN RAVENSTEIN, LAUENBURG, ET BüTOV,
DOMINO SUO CLEMENTISSIMO,

*Præliminarem hanc dissertationem in debitæ gratitudinis & subjectionis signum*
humilimè consecrat
MARTINUS SILVESTER GRABE,
VVeissensee-Thuringus.

# Cum Deo!

## I.

CAtholicæ fidei primum caput eſt Jeſus Chriſtus, verus Deus & verus homo. Nunquam itaq; diabolus, odiô Dei & ſalutis humanæ furens, deſtitit, homines arrogantes ac impios excitare, qui omnibus modis illud impetere, ac variis corruptelis usq; adeò interpolare auſi fuerint, ut nullum aliud, ſive acriùs, ſive à pluribus hæreticis, impugnatum ſit unquam. Ipsô Apoſtolorum adhuc ævô *Ebion*, πολύμορφον illud περάσιον, uti Epiphanius hær. 30. eum appellat, Samaritanâ gente oriundus; & *Cerinthus*, profanus ac ſeditioſus Judæus, prodiêre, Servatorem noſtrum, negatâ ipſius Deitate, nudum hominem blasphemantes: unde & contra hosce Evangelium ſuum Johannes ſcrìpſiſſe traditur ab Hieronymo Catal. de ſcript. Eccles. & prologo in Matth. Horum ſubſecutis ſeculis ſectatores, *Artemo*, *Theodotus*, *Paulus* Samoſatenſis, aliiq; ejus farinæ, non multùm hìc morandi ſunt, quippe S. Scripturarum partim contemtores, partim mutilatores manifeſti, quosq; eô nomine parum negotii Eccleſiæ Chriſti faceſſere potuiſſe, ex hiſtoria conſtat.

II. Initiô autem quarti ſeculi, Cæſare M. Conſtantinô, *Arius* Libys, Alexandrinus Presbyter, homo vafer & turbulentus, turbas longè majores dedit, concedendo quidem, Filium Dei Deum eſſe, ſed ἐξ ὀυκ ὄντων, *ex nihilo ortum, cùm aliquando non fuiſſet, creatum item & factum*, uti teſtantur Patres Concilii Nicæni epiſtolâ ad Alexandrinam Eccleſiam,

clesiam, apud Socratem lib. 1.hist. c. 6. Feliciùs causam egerat reliquis hæreticis antecessoribus, eò quòd non adeò portentosa, aut adversâ fronte cum S. Literis pugnare videretur. Quin ex illo ipso Evangelio, quod Johannem primis χϱιςομάχοις ex professo opposuisse jam jam diximus, suæ hæreseos patrocinium potissimum petebat, atq; inter cætera loca præprimis hunc nostrum, ex cap. XVII, 3. depromtum, subinde jactabat, quem ea propter Arianorum Achillem jure meritoq; dixeris. *Numquid legisti in Evangelio, quomodo loquatur Dominus ad suum Patrem? Hæc est vita æterna &c.* ὁρᾷς ὅτι μόνον ἀληθινὸν θεὸν ἔφη τὸν πατέρα, ὡς αὐτȣ̃ μὴ ὄντος ἀληθινȣ̃ θεȣ̃. *Videsne, eum solum Patrem verum Deum dicere, quasi ipse non sit verus Deus,* objiciebat Arius S. Athanasio in disp. habita in Concilio Nicæno, apud eundem Athanasium fol. 93. edit. Commelin. Græco-Lat.

III. Nec diu pòst, imperante Constantiô, Constantini M. filiô, *Photinus*, Sirmii, inferioris Pannoniæ, Episcopus, vir *& ingenii viribus valens, & doctrinæ opibus excellens, & eloquiô præpotens,* prout Vincentius Lir. Commonitor. c. 16. eum describit, pro Arii dogmate Paulli Samosatensis placita amplexus, Filium Dei nudum tantùm hominem esse docuit, sicut *Socrates* lib. 2. hist. c. 24. *Sozomenus* l. 4. hist. c. 5. & *Augustinus* hær. 44. testantur. Cùm enim Arius *Filium Dei sine tempore genitum esse à Patre, & ante secula creatum ac fundatum, tantùm antequam gigneretur, non fuisse,* statueret, ut ipsa ejus verba apud Epiphanium hær. 69. habent; Photinus *Christum ab initio non esse, sed à Maria & hucusq; existere,* dixit, *ex quo Spiritus S. ei supervenit, & ex Spiritu Sancto genitus est,* ut idem Epiphanius hær. 71. docet.

IV. Eas-

IV. Easdem Photini impietates avorum nostrorum memoriâ ex orco revocârunt *Michael Servetus*, Tarraconensis Hispanus; *Valentinus Gentilis*, Consentinus Italus; *Georgius Blandrata*, Salucienfis, professione Medicus; *Matthæus Gribaldus*, Patavinus JCtus; *Bernardinus Ochinus*, Senensis Monachus, aliiq; ; & patrum ac nostrô tempore *Lælius* & *Faustus Socinus*, patrui, Senenses ex Italia; *Valentinus Smalzius*, Gothâ-Thuringus, Catechismi Racoviensis autor; *Johannes Volkelius*, Grimmâ-Misnicus; *Christoph. Ostorodus*, Goslariâ-Saxo; *Johannes Crellius*, Francus, & plures alii, inter quos hodie facilè eminet *Jonas Schlichtingius à Bukowiec*, Nobilis Polonus.

V. Ut verò olim Ariana hæresis Photinianam, ita superiori seculô hæc illam oppressit, adeoq; Photini, non Arii doctrinam modernis hæreticis probari, ipse Faustus Socinus fatetur, in responsione priori ad parænesin Andreæ Volani p. 48. disertè scribens, se idem sentire, ac *Paulum Samosatenum, & Photinum, & alios, qui Jesum Christum, antequam ex Maria nasceretur, revera non exstitisse, senserunt.* Et in secunda respons. p. 239. *Photinum & summum virum fuisse,* ait, & certum esse, *eum ipsissimam nostram sententiam & sermone & scriptis acriter defendisse.* Imò ægrè ferunt, se Arianos nuncupari, uti constat ex libello Racoviæ 1611. excuso, autore Socino, qui talem titulum præ se fert: *Quòd Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithvaniæ homines, vulgò Evangelici dicti, qui solidæ pietatis studiosi sunt, omninò deberent se illorum cœtui adjungere, qui in iisdem locis falsò atq; immeritò Arriani atq; Ebionitæ vocantur.* Adstipulatur ex recentioribus Christ. Ostorodus in præfatione Institutionis German. p. 12.



VI. In

VI. In eo tamen cum Arianis amicè conſpirant, ut iisdem ferè telis Deitatem noſtri Servatoris impugnatum eant, atq; malæ causæ præſidium præcipuum in citato Johannis loco collocent. Videantur *Fauſtus Socinus* in libello: Quòd Regni Poloniæ &c. c. 4. p. 28. & 31. in Inſtitutione Chriſt. relig. p. 4. in tractatu de Deo, Chriſto & Spiritu S. p. 5. ſeq. & in animadverſionibus in aſſertiones Posnan. p. 70. *Catechismus Racovienſis*, p. 37. edit. German. *Volkelius* de vera relig. l. 5. c. 9. p. 418. *Joach. Stegmannus* in der Prob contra D. Botſaccum p. 112. & *Schlichting* de S.S. Trinitate &c. adverſus D. Meiſnerum p. 205. ſeq. Hujus ergo illuſtris dicti genuinum ſenſum à profanis hæreticarum novitatum corruptelis breviter vindicare bono cum Deo conabimur.

VII. Nonnullas autem piorum Patrum explicationes, quibus verborum Chriſti ſuam veritatem juxtà ac ejusdem Deitatem conſtare poſſe arbitrati ſunt, hîc præmittere non abs re erit. Quidam namq;, ex Latinis præcipuè, textûs noſtri verba ſic ordinanda & conſtruenda cenſent: *ut cognoſcant te, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum, ſolum verum Deum*, ita, ut ad Patrem & Filium ſimul hæc, *ſolum verum Deum*, referantur. *Ordo verborum eſt, ut te, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum, cognoſcant ſolum verum Deum*, ait *Auguſtinus* tractat. 105. in Joh. Tom. 9. quod repetit l. 3. contra Maximinum Arrianum c. 15. Tom. 6. & l. 6. de Trinitate c. 9. Tom. 3. Auguſtinum ſequitur *Beda*, & alii. Et hoc loquendi genus Rhetores *Trajectionem* appellare conſueverunt, Scriptoribus Græcis ſatis frequentem, cujus exempla, cùm ex Sacris producit *Beza* in notis ad Joh. 8, 25. & 1. Cor. 15, 2. tùm ex profanis *Dan. Heinſius* in exercitationibus ad N. T. h. l. f. 237.

VIII. Græci

VIII. Græci verò Patres ita noſtrum textum explanant, ut Chriſtum particulâ excluſivâ, *ſolum*, non ad excludendum ſe & Spiritum S. à vera Deitate, ſed creaturas ſaltem & fictitia Gentilium numina, uſum fuiſſe, communiter arbitrentur. Ita *Athanaſius* orat. 4. contra Arrianos f. 257: *Quum Pater, ſolus verus Deus appellatur,* οὐκ εἰς ἀθέτησιν τοῦ λέγοντος, ἐγώ εἰμι ἡ ἀλήθεια, εἴρηται· ἀλλ' εἰς ἀναίρεσιν τῶν μὴ πεφυκότων εἶναι ἀληθινῶν, οἷός ἐστιν ὁ πατὴρ καὶ ὁ τούτου λόγος. *non ad exauctorationem dicentis, Ego ſum veritas, dicitur, ſed ad demolitionem eorum, qui naturâ tales non ſunt, qualis eſt Pater & Patris Verbum.* Eodem modo *Gregorius* Naz. orat. 36. quæ eſt 2. de Filio f. 586. edit. Paris. Græco-Lat. *Hæc verba,* ait, *ad eorum, qui, quanquam falsò, dii tamen appellantur, ſublationem dici exiſtimo,* ἐπ' ἀναιρέσει λέγεσθαι τῶν οὐκ ὄντων μὲν θεῶν, λεγομένων δέ. Similia habent *Chryſoſtomus* hom: 79. in Joh. *Cyrillus* Alex. l. 11. in Joh. c. 16. & l. 10. theſauri c. 6. Tom. 2. *Baſilius* M. l. 4. contra Apologeticum Eunomii circa finem, & Epiſt. 141. *Theophylactus* h. l. & *Nicetas Choniatas* l. 6. Theſauri Orth. fid. c. 63. p. 552.

IX. Alii particulam *ſolum* referendam dicunt non ad ſubjectum, quaſi ſolus Pater dicatur verus Deus; ſed ad prædicatum, quòd Pater ſit ſolus ille verus Deus, extra quem nullus alius cognoſcatur: adeoq; Servatoris mentem eſſe, *Patrem eſſe illum ſolum verum Deum;* minimè verò, *Patrem ſolum eſſe verum illum Deum:* priorem namq; propoſitionem non prohibere, quò minùs etiam Filius aut Spiritus S. poſſit dici verus Deus, vel ſolus ille verus Deus. Id quod confirmant ex ipſa textûs ſerie, quæ eſt: ἵνα γινώσκωσί σε τὸν μόνον ἀληθινὸν θεόν, ubi articulus, τὸν, & excluſiva, μόνον, non ſubjecto, σε, ſed prædicato, ἀληθινὸν θεόν, præfigitur. In hanc ſententiam, *Nicolaus de Lyra* commentatus: *Hæc dictio,* inquit,

inquit, *exclusiva solus, non determinat ly Te, ut sit sensus, quòd solus Pater sit Deus; sed determinat ly Deum, & est sensus, quòd illa est sola Deitas vera, quæ est in Patre, & sic ab ea non excluditur Filius, qui magis includitur.*

X. Plures alias, recentiorum imprimis Theologorum, nec usq; adeò incommodas, expositiones adducere, brevitatis studiô supersedemus, atq; ex hisce tribus propositis mediam Græcorum, tanquam simplicissimam, reliquis anteferimus, Christum Servatorem, in hac sua oratione παραγωνίῳ, Patrem appellando solum verum Deum, Gentilium saltem idola & creaturas, minimè autem semetipsum à vera divinitate removisse, statuentes.

XI. Quam nostram assertionem primùm demonstramus *ex occasione & scopo verborum Christi.* Hic namq; discipulos suos emissurus erat in universum, & Judæis & Gentilibus inhabitatum, orbem: unde & v. 2. omnis carnis potestatem sibi concessam prædicaverat: & verò tam Judæi, quàm Gentes rectâ ac salvificâ veri Dei & Mediatoris Christi cognitione destituebantur, illis Messiam exhibitum repudiantibus, his contrà πολυθεΐαν sectantibus; hinc in hoc versu omnis Evangelii summam, non solâ Patris, sed Filii quoq; Mediatoris cognitione, absolvendam, brevibus complecti, atq; priore membrô Gentilium idolomaniam, posteriore autem Judæorum proterviam redarguere voluit. Dum ergò Servator prius membrum paganæ πολυθεΐᾳ opponit, facilè quivis videt, idola saltem Ethnicorum, non ipsum Servatorem, ejus verbis excludi.

XII. Hunc verborum Christi scopum fuisse, nec ipsi adversarii diffiteri, aut in dubium vocare audent. *Est quidem verum, ideò Patrem solum verum Deum appellari, ut ii à vera Deitate excludantur, qui jam tum pro Diis falsò habebantur ac*

*tur ac colebantur*, ſcribit *Crellius* l. de uno Deo Patre ſect. 1. c. 1. p. 3. Sed frivolam ſtatim exceptionem annectit hujusmodi: *eâ tamen ratione id fit à Chriſto, quæ latiùs pateat, & non tantùm illos* (Deos falſos) *ſed & quosvis alios, præter Patrem, à ſuprema illa Deitate excludat.* Frivola, inquam, exceptio eſt, quippe manifeſtâ principii petitione laborans. Chriſtum enim verbis ſuis & hoc, ultra ſcopum, intendiſſe, ut præter Deos falſos ſemet quoq; ipſum à ſuprema Deitate excludere voluerit, unicè nunc in controverſia eſt.

XIII. Rationem tamen ejus, à vi excluſivæ, *ſolus*, deſumtam, audiamus, quam ita proponit: *Ea eſt vis vocis* ſolius, *ut omnes alios excludat à c mmunione prædicati, præter eum, cui apponitur. Is autem cui vocula* ſolus — *apponitur, eſt Pater Jeſu Chriſti, fatentibus iis, cum quibus nunc nobis res eſt. Prædicatum eſt* verus Deus, *ſeu Deus ſummus. Quare vox ſolius à communione hujus prædicati omnes excludit præter Patrem, ac porrò etiam Chriſtum & Spiritum S.* Hæc ille, quibus ſuam rationem, tanquam firmiſſimam & indubiam regulam, nobis venditare, & cum ſociis ſuis obtrudere ſatagit.

XIV. Sed reſponſio in promptu eſt. Aut enim exiſtimat, particulam excluſivam ſemper illâ vi pollere, ut omnes alios, præter eum, cui additur, à prædicati participatione removeat; aut nonnunquam ſaltem, & in quibusdam locis. Si hoc velit, vitioſa eſt conſecutio à particulari ad univerſale. Sin illud, oppidò fallitur. Id quod primò *in genere* duobus Scripturæ exemplis, iisq; ſatis evidentibus, probabimus.

XV. Prius depromitur ex 1. Reg. XII, 20. ubi Spiritus S. dicit: *Nec ſequutus eſt quiſpiam domum David,* זוּלָתִי שֵׁבֶט־יְהוּדָה לְבַדּוֹ *niſi tribus Juda ſola.* Hìc juxta adverſariorum regulam tribus Benjamin ſecludenda foret, nec

ullo modo conjungenda: ast quàm falsò, sequens versus clarè testatur. Et frustra est, quod excipit *Schlichtingius* disp. de Trinitate, adversus Meisnerum p. 214. hoc ideò fieri, *quia tribus Iudæ per Synecdochen partis accipitur pro utraq; ista tribu, à potiori enim fit denominatio.* Ita enim (1) adversarius concedere cogitur, regulam absq; limitatione & absolutè sumtam, non universaliter procedere, adeoq; infirmâ consequentiâ nobis opponi. (2) eodem modô & nos nostrum textum explicare possumus, Patrem nimirum, quia prima Persona, & fons ac origo Trinitatis est, per Synecdochen denominari solum Deum, Filiô & Spiritu S. minimè exclusis.

XVI. Posterius desumimus ex 1.Cor. IX, 6. in quo Paulus dicit: *aut solus ego & Barnabas non habemus potestatem hoc non faciendi;* ubi sanè exclusiva Barnabam à communione prædicati non excludit, quamvis Paulo tantùm apposita. Idem exemplum urget *Chrysostomus* l. c. Nec est quòd *Socinus* in suis animadversionibus in assertiones Posnaniensis Collegii, p. 73. & ex eo *Schlichtingius* l. c. hoc exemplum nihil ad rem facere existiment, cùm Barnabas (verba Socini recito) *non solùm apertè nominatus fuerit, sed etiam eâdem prorsus verborum structurâ comprehensus, ita ut non quidem non excludi, sed disertis verbis includi dicendus sit.* Nam hæc exceptio illos non ferit, quos per trajectionem hunc textum explicare superiùs jam diximus, ex quorum mente Christus non solùm apertè nominatur, sed etiam eâdem prorsus verborum structurâ comprehenditur.

XVII. Deinde *in specie*, argumentô à pari petitô, adversariæ regulæ robur infringi potest hoc modô: Si particula *solus*, h. l. de Patre usurpata, Filium & Spiritum S. à Deitatis aliorumq; attributorum consortio excludit, utiq;

eadem

eadem, alibi de Filio & Spiritu S. usurpata, Patrem excludat necesse est, At posterius est absurdum. Ergo & prius. Exempla vim nostræ consequentiæ, quantum ad Filium (de Spiritu S. enim alio loco & occasione agendum) demonstrantia hæc sunto. Judas v.4. Epistolæ suæ: *Subintroierunt*, inquit, *quidam homines Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam*, καὶ τὸν μόνον δεσπότην Θεὸν καὶ Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν ἀρνούμενοι, *& solum herum Deum & Dominum nostrum Jesum Christum negantes.* Et circa finem v. 25: *Soli sapienti Deo Salvatori nostro gloria & magnificentia* &c. Nemo autem hinc rectè colliget, Patrem non esse herum Deum & Dominum, quibus tamen nominibus citra controversiam ipsum honorandum esse, adversarii largiuntur; nec sapientem, aut cui nulla gloria & magnificentia sit deferenda, quod tamen iisdem ferè verbis de illo affirmat Paulus 1. Tim, I, 17: *Soli sapienti Deo honor & gloria* &c.

XVIII. Valdè ineptus hic est *Schlichtingius* p. 222, dum Judæ verba v. 4. ita eludere conatur: *Apertè, inquis,* (B. Meisnerum compellat) *loquitur Judas de Filio: sed & apertè loquitur de Deo. Dei autem absolutô nomine imprimis tum, cùm illi adjungitur J. Christus, Patrem designari, ita est Scripturæ usitatum, ut nihil sit usitatius. At verò Christum vocari & δεσπότην, & solum δεσπότην, & solum δεσπότην Deum, Scripturæ penitus est ignotũ, quæ Christum ab illo potiùs semper solet distinguere. Inusitatum etiam est, Christum vocari* solum Deum simul & Dominum nostrum; *sed tantùm simpliciter* Dominum nostrum. *Quid enim attinet, eum vocare Dominum nostrum, quem jam solum dominatorem Deum vocaveris?* Hactenus ille.

XIX. Respondemus (1) Judam, loquendo de Deo, Patrem designare, ita ut Epitheta hæc, Θεὸς & Κύριος, discerpenda,

 pendа,

penda, nec de Christo conjunctim intelligenda sint, tamdiu negamus, & contra adversarium denuô cum B. Meisnero urgemus, donec contrarium solidis rationibus probatum dederit. (2) Patrem designari absolutô nomine Dei, imprimis tum, cùm illi adjungitur Jesus Christus, concedimus ultrò: Sed hinc malè concluditur, soli Patri illud absolutum Dei nomen competere, atq; Filio derogandum esse, cœteroquin eâdem consequentiâ etiam nomen Domini derogandum esset Patri, & soli Filio tribuendum, quando Scriptura tum imprimis hoc nomine ipsum dignatur, cùm illi Pater adjungitur. Quin Filium quoq; extra hanc cum Patre conjunctionem, absolutô Dei nomine designari, ex Joh. 20, 28. Actor. 20, 28. 1 Tim. 3, 16. aliisq; dictis alibi demonstratur. (3) Christum vocari δεσπότην, & solum δεσπότην, & solum δεσπότην Deum, item solum Deum simul & Dominum, licèt alibi eodem verborum nexu non legatur aut repetatur, sufficit tamen, hîc semel illum ita vocari. Nec propterea in dubium vocanda sunt illa omnia, quæ semel tantùm in Scripturis de Filio, adde, & de Patre & de Spiritu S. expressa leguntur. Quid, si nec ipse Patrem ita alibi locorum vocari ostendere potest, tum ergo? (4) Sed & vocari Christum alibi δεσπότην, non tantùm ex verbis Petri 2. Ep. 2, 1. hisce Judæ prorsus parallelis, liquet, verùm etiam ex Apoc. 6, 10. & Jos. 5, 14. ubi LXX. vocem אָדוֹן reddunt per δεσπότης, & de Christo interpretandam esse ostendit *Justinus* Martyr in dial. cum Tryph. f. 286. edit. Paris. Græco - Lat. (5) Christum vocari herum seu dominatorem, & dominum quoq;, hoc attinet, ut duplex ejus dominium, creationis scilicet & redemtionis jure in nos acquisitum, ab Apostolo innuatur. Hæc de loco Judæ.

XX. Matt.

XX. Matt. 11, 27. dicit Servator: *Nemo novit Patrem, nisi Filius.* Nullatenus tamen exceptivâ particulâ sive patrem à sui ipsius cognitione, sive Spiritum S., quippe omnia scrutantem, etiam profunditates Dei, 1. Cor. 2, 10. excludi posse, adeoq; Socinianam regulam iterùm fallere, manifestum est, quicquid vel ineptiarum idem *Schlichtingius* p. 211. hîc Meisnero objiciat, ipse insigniter ineptiens.

XXI. Similiter Apoc. 19, 12. de Christo dicitur: *Habens nomen scriptum, quod nemo novit nisi Ipse.* Num igitur Pater & Spiritus S. nomen Filii ignorant? absonum. Benè hunc locum urget *Augustinus* l. 3. contra Maximinum, c. 13. & 15. Tom. 6.

XXII. *Cyprianus* l. 2. adversùs Judæos c. 5. f. 271. edit. Basil. inter alia vaticinia V. T. etiam illud Esaiæ c. 45. v. 14. & 15. ad Christum applicat, atq; hoc modô citat: *In te Deus est, & non est alius Deus præter te. Tu enim es Deus & non sciebamus: Deus Israël Salvator.* Quæ interpretatio eò minùs cordatis Christianis suspecta est, quò longiùs Arii vel Photini ætatem S. Martyr præcessit, & perspicuum absq; dubio exemplum, quô fictæ Neo-Photinianorum regulæ jugulum tandem petamus, clarè subministrat.

XXIII. Tertiò, particulæ exclusivæ non semper eam, quam adversarii ipsi affingunt, virtutem esse, ex gemina dictorum collatione validè demonstrari potest. Prior est inter Devt. 32, 12: *Dominus solus Dux ejus* (populi Israëlitici) *fuit, & non erat cum eo Deus alienus*; & 1. Cor. 10, 4. *bibebant* (Israëlitæ) *de spirituali consequente eos Petra: Petra autem erat Christus.* Hinc ita infero: Si solus Dominus Dux Israëlitarum, nec Deus alienus cum eis fuit, & tamen Christus quoq; cum iis fuit, sequitur, particulæ exclusivæ eam, quam adversarii urgent, vim non semper esse. Atqui

verum est antecedens, Mose & Paulò attestantibus. Ergo & consequens.

XXIV. Posterior est inter 1. Tim. 6, 15. ubi Pater describitur *beatus & solus potens, Rex Regum, & Dominus dominantium*; & Apoc. 17, 14: *Agnus* (Christus) *vincet illos, quoniam Dominus dominorum est, & Rex Regum.* Inde iterum concludo: Si particula *solus*, Patri addita, omnes alios à prædicati communione excludit præter eum, cui apponitur, malè Johannes idem prædicatum Christo tribuere censendus est. Atqui posterius est absurdum, Ergo & prius. Eâdem instantiâ contra Arianos egregiè utitur *Gregorius* Naz. in orat 36. verbis suprà n. VIII. citata immediatè præcedentibus: *Si hæc verba*, inquiens, *solum verum Deum, Patri duntaxat tribueris, ubi tandem veritatem ipsam collocabis? Etenim si illud* (Rom. 16, 27.) *soli sapienti Deo, aut illud* (1. Tim. 6, 16.) *soli immortalitatem habenti, lucemq; inaccessibilem habitanti, aut deniq; illud* (1. Tim. 1, 17.) *Regi seculorum immortali, invisibili, soli sapienti Deo, ad hunc modum intellexeris, peribit utiq; tibi Filius vel morte vel tenebris mulctatus, vel in hoc condemnatus, ut nec sapiens sit, nec Rex, nec invisibilis, imò nec omninò Deus.* Hactenus Nazianzeni verba, quæ singula in thesaurum suum orthodoxæ fidei transscripsit *Nicetas* l. c.

XXV. Quartò deniq; ipsâ adversariorum confessione lubricam regulæ vim ostendimus. Notum est certamen, quod Fausto Socino cum Francisco Davidis, Claudiopolitano in Transsylvania Superintendente, intercessit, & aliquot annos agitatum fuit. Hic namq; Christo adorationis cultum detrectabat, hisce hypothesibus nixus, quòd Christus non sit Deus, & quòd soli Deo is cultus sit deferendus, juxta Devt. 6, 13. & Matt. 4, 10. Nec adeò invalidè, primâ

primâ hypothesi stante. Sed quid Socinus ad secundam, quæ omnem Davidis argumento vim largiebatur? Nimirum fateri nobiscum cogitur, voculam, *Solus*, Deo additam non excludere Christum, aut ei opponi, sed alienis tantùm & fictis gentium numinibus. Ita enim in Miscellaneis p. 273. & in Epistola 3. ad Matthæum Radecium, amplissimæ Reip. Gedanensis olim Secretarium, p. 149. suarum epistolarum: *Nomen solus*, inquit, *& particulæ idem significantes, cùm de Deo dicuntur, nunquam eos excludunt, qui illi sunt subordinati.* Gemina hisce habet ex recentioribus *Volkelius* l. 5. de vera relig. c. 29. in fine: *Objiciunt, illud primum Decalogi præceptum, quô alios præter Deum Israëlis adorare vetamur, nostram de Christo adorando sententiam prorsus convellere. Hoc verò ideò falsissimum censeri debet, quòd nec Christo illud præceptum opponitur, sed alienis tantùm fictisque diis.*

XXVI. Quòd si igitur ex eo, quòd solus Deus invocandus dicitur, malè colligit Franciscus, Christum non esse invocandum; utique ex eo quoque, quòd in nostro dicto Pater appellatur solus verus Deus, malè inferunt adversarii, Christum non esse verum Deum. Et si in dictis, de solo Deo invocando, ipsis licet particulæ exclusivæ vim restringere ad fictitia saltem numina; quid obstat, quò minus eadem restrictio hoc loco adhibenda, nec exclusiva omnes alios à communione prædicati, præter eum cui apponitur, sed idola tantùm & creaturas excludere, statuendum sit? Quicquid hîc dixerint, nunquam sese ab hac difficultate feliciter expedituri sunt, nisi propria vineta cædere velint. Concludimus ergo primum nostræ assertionis membrum hâc veteris Catholicæ Ecclesiæ regulâ, Socinianæ communiter receptæ planè oppositâ, quam *Basilius* M. Epist. 141. paulò ante med. hisce verbis proponit: Τὸ εἷς καὶ μόνος ἐπὶ τοῦ Θεοῦ ἐν τῇ γραφῇ

γραφῇ οὐ πρὸς τὴν ἀντιδιαστολὴν τοῦ υἱοῦ ἢ τοῦ ἁγίου πνεύματος λέγεται, ἀλλὰ πρὸς τοὺς μὴ ὄντας θεοὺς, ὀνομαζομένους δὲ ψευδῶς. Quæ ex versione Jani Cornarii edit. Basil. f. 741. ita sonant; *Unus & solus de Deo in Scriptura non ad distinctionem Filii aut S. Spiritûs dicuntur; sed adversus eos, qui Dei non sunt, falsò autem appellantur.*

XXVII. Secundum nostræ explicationis fundamentum desumimus ex verbis immediatè sequentibus, & cum prioribus per copulam connexis, quibus mentem suam Servator, quosq; voluerit à sola Patris Deitate exclusos, satis superq; exponit. Dicendo enim ad Patrem, *Ut cognoscamus te solum verum Deum,* & mox subjiciendo, *Et quem misisti, Jesum Christum,* quid aliud nobis indicare, quàm communem utriusq;, Patris nimirum & suam, solam veram Deitatem; & contrà fictitiam illam gentilium ab hujus Deitatis consortio repudiare voluit? Observavit hoc tertiò jam à nativitate Christi seculò, dimidiò ante certamen Arrianum, *Novatianus*, Romanus Presbyter, adhuc Catholicus, libro de Trinitate c. 24. inter opera Tertulliani f. 640. edit. Franc. Junii. *Si noluisset,* inquit, *se etiam Deum intelligi, cur addidit, Et quem misisti, Jesum Christum, nisi quoniam & se Deum accipi voluit: quoniam si se Deum nollet intelligi, addidisset, Et quem misisti hominem Jesum Christum: nunc autem neq; addidit, nec se hominem nobis tantummodò Christus tradidit, sed Deo junxit, ut & Deum per hanc conjunctionem, sicut est, intelligi vellet.* Et mox: *Se nequaquam Patri, ut diximus, junxisset, nisi Deum quoq; intelligi vellet: Separâsset enim ab eo, si Deum intelligi se noluisset: Inter homines enim tantummodò se collocasset, si hominem se esse tantummodò sciret, nec cum Deo junxisset, si se non & Deum nosset: nunc & de homine tacet, quoniam hominem illum nemo dubitat, & Deo se jungit meritò, ut cre-*

*ut crediturіs divinitatis suæ formulam poneret.* Eandem cum Novatiano observationem inculcant sequentibus temporibus inter Latinos Ecclesiæ Doctores *Hilarius* Pictav. l. 3. de Trin. fol. 27. edit. Basil. *Debitus*, inquiens, *Patri à Filio honor redditur, cùm dicit: Te solum verum Deum. Non tamen se Filius à Dei veritate secernit, cùm adjungit: Et quem misisti Jesum Christum.* Et iterum l. 9. f. 127: *Sed fortè quod ait Servator, Te solum, communionem atq; unitatem suam à Deo separat? separet sanè: Si non ad id, quod ait, Te solum verum Deum, continuò subjecit: Et quem misisti Jesum Christum.* Ipsissima verba repetit l. de Patris & Filii unitate f. 663. Similiter *Ambrosius* l. 5. de fide ad Gratianum c. 2. Tom. 2. f. 120. ed. Basil. *Conjunctione*, ait, *illâ Patrem utiq; copulavit & Filium, ut Christum verum Deum à Majestate Patris nemo secernat. Nunquam enim conjunctio separat.* Hæc illi.

XXVIII. Inter Orientales quoq; S. *Athanasius*, ad Arii superiùs num. II. annotatam objectionem respondens: τοῦτο, ait, σύνδεσμός ἐστι τῶν προειρημένων ῥημάτων καὶ τῶν ἐπαχθέντων οὐ διαίρεσιν ἐμποιῶν. Quæ P. Nannius in edit. Commelin. ita reddit: *Atqui ista cum primis verbis per conjunctionem τὸ Et cohærent, neq; quæ sequuntur inde dirimenda sunt. Et constanter apud rectè sentientes in confesso est, ambas istas partes dominicæ vocis inter se copulari debere.* Mox similitudine rem contra Arium illustrans addit: *Si quis inter præcipiendum, ita quempiam de Constantino alloquatur: Certò cognoscas velim, solum Cæsarem Constantinum Imperatorem terræ & maris esse, & Constantium Filium ejus: isne eâ confessione Patri Filium conjungit, annon? — oportet te eandem saltem reverentiam habere in Dominum, quam habes in Constantinum. Non adimis à Filio Augustalem Majestatem, nec quicquam quod in Patrem competit, quum tamen non aliunde, quàm per Constan-*

 *tium*

*tium eorum majeſtatem unitam ſentias.* Et orat 4. contra Arrianos verbis n. VIII. adductis ſtatim ſubjicit: οὕτως γὰρ καὶ αὐτὸς ὁ κύριος εὐθὺς συνῆψε, καὶ ὃν ἀπέστειλας Ἰησοῦν Χριστόν. εἰ δὲ κτίσμα ἦν, οὐκ ἂν συνῆψε καὶ συνηρίθμησεν ἑαυτὸν τῷ κτίσαντι αὐτόν. *Ita enim & ipſe Dominus ſtatim conjunxit, Et quem miſiſti Jeſum Chriſtum. Si autem creatura eſſet, non ita coaptaſſet, aut connumeraſſet ſe cum Creatore ſuo. Quæ enim communio aut ſocietas vero & non vero. Nunc autem quum conjunxit ſemetipſum Patri, demonſtravit ſe naturæ eſſe Patris, deditq; nobis cognoſcere, ſe eſſe veri Patris verum germen.* Athanaſio adſtipulantur *Gregorius* Naz. or. 36. l. c. & *Cyrillus* Alex. l. 10. theſauri c. 6. Tom. 2.

XXIX. Obvertat quis nobis, cur ergo Servator non repetiit vocem Dei, atq; dixit; Ut cognoſcamus Te *ſolum verum Deum*, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum *ſolum verum Deum?* Reſpondeo cum Ambroſio l. c. *Exprimendum alterum non fuit, ne duos Deos dicere videretur. Nam neq; duos dicimus Deos, & ejusdem cum Patre divinitatis Filium confitemur.*

XXX. Hactenus ergo duabus rationibus, quarum altera ab occaſione precum à Chriſto ad ſuum Patrem fuſarum, altera ex ipſa verborum connexione mutuata erat, pro inſtituti noſtri ratione ſufficienter probavimus, quàm impiô & vanô auſu moderni hæretici, antiquorum veſtigia legentes, Servatoris προσαγώνια verba in ſequiorem ſenſum detorquere, atq; ſuam hæreſin ex iis ſtabilire auſi ſint. Jam ad alia, eaq; haut parvi momenti, argumenta, tum in noſtro textu contenta, tum ex conſequentibus illum fluentia, pergere, & noſtram Catholicam, de verâ & ſupremâ noſtri Servatoris Deitate, fidem uberiùs confirmare poſſumus.

XXXI. Nonne

XXXI. Nonne enim luculentum divinitatis suæ indicium Servator reddit, dum non minùs in cognitione sui, quàm Patris, æternam vitam collocat? quod *Cyrillus* Alex. l. de recta fide ad Reginas, Tom. 3. f. 309. observat, & idem noster Evangelista versu penult. primæ Epistolæ clarissimis verbis, atq; judiciô Athanasii f. 93. scriptam demonstrationem pro vera Filii Deitate complectentibus, abundè testatur. Quid *Jesu*, & *Christi* nomina aliud important, quàm quod nos cum universa Christi Ecclesia defendimus? quod respectu posterioris nominis inter antiquos Doctores optimè demonstrat *Johannes* Damascenus l. 3. orthod. fid. c. 3. respectu utriusq; autem *Raymundus Martini* Catalanus, ordinis Prædicatorum, circa medium decimi tertii seculi, in pugione fidei adversus Mauros & Judæos, part. 3. dist. 1. c. 4. & dist. 3. c. 2 & 3. ex quo scriptore P. *Galatinus*, quicquid boni in suo, *de arcanis Catholicæ veritatis*, volumine habet, suffuratus est. Firmum præterea argumentum pro adstruenda sua Deitate suppeditat ipse Servator, dum versu 5. à Patre eandem, quam apud eum, priùs quàm mundus fieret, claritatem habuit, precibus repetit: quòd *Novatianus* l. c. egregiè urget.

XXXII. Verùm quum hæc & alia ejus generis argumenta, à nostratibus Theologis passim tractata, & cuilibet obvia sint, atq; materia disputationis circa refutationem rationis adversariæ ab exclusiva sumtæ, quæ principalis est, adeoq; prolixiorē considerationē necessariò mereri videbatur, opinione longiùs excreverit, in illis operosè enucleandis impræsentiarum non immorabimur. Coronidis tamen locô pudendam Jonæ Schlichtingii sive ignorantiam, sive malitiam, quam in præfatione *ad omnes, per Europam, Ecclesiarum Evangelicarum Pastores atq; Doctores*, disputati-

oni aliquoties nobis citatæ, præmissâ prodidit, retundere placet. Non enim scribere veretur, Trinitatis dogma primum autorem habere Tertullianum, quod is ex Montani Prophetia vel furore demum addidicerit, atq; Ecclesiis obtruserit. Verba ejus inter cætera p. 33. hæc sunt: *Prodeat idem Tertullianus, ex quo solo primos erroris istius exortus, primaq; incrementa, patefacere animus est, quippe qui non solùm antiquissimus sit scriptor, sed & circa ipsa erroris istius incunabula vixerit, imò quò non alius magis ullus ob acre ingenium, & insignem illius temporis eruditionem, patrocinio suo, errorem hunc, etiam ad posteritatem provexisse videatur.* Hinc & pag. 39. *maximus Trinitariorum author Tertullianus* audit.

XXXIII. Sed quàm falsò hæc & impudenter effutierit, sequentia aliquot Doctorum & Martyrum, ut Apostolicæ ætati propinquiorum, ita eò longiùs Tertullianum antevertentium, testimonia clarissimè evincunt. *Clemens* Romanus, in priori ad Corinthios Epistola, quam Patricius Junius, Caroli I. Britanniarum Regis Bibliothecarius, genuinam orbi Christiano non ita pridem restituit, non multum ab initio p. 3. edit. Oxon. & Helmstad. hæc habet: *Dei viatico contenti, & verbo ejus diligenter attendentes, quod in intima viscera reconditum servabatis,* καὶ τὰ παθήματα αὐτοῦ ἦν πρὸ ὀφθαλμῶν ὑμῶν, *ejusq; (DEI) passiones vobis præ oculis semper erant.* Hæc Clemens ille, cujus mentionem adhuc Paulus Phil. 4, 3, injecit. *Polycarpus*, Johannis Evangelistæ discipulus, & Smyrnensis in Ionia minoris Asiæ Episcopus, seu angelus, uti Apoc. 2, 8. commendatur, in rogo jam positus, talem de S. S. Trinitate confessionem edidit: *Pater dilecti ac benedicti Filii tui Jesu Christi, — tibi gratias ago, quòd me hac die & horâ dignatus es, ut partem accipiam in numero Martyrum, in populo Christi, ad resurrectionem vitæ æternæ, animæ*

*ſimul & corporis, in incorruptione Spiritûs Sancti.* — *Quapropter & de omnibus te laudo, te benedico, te glorifico, per æternum Pontificem Jeſum Chriſtum, Filium tuum dilectum, per quem tibi unà cum ipſo & Spiritu S. ſit gloria nunc & in futuris ſeculorum ſeculis. Amen.* Videatur *Euſeb.* l. 4. hiſt. Eccleſ. c. 15. f. 52. Polycarpo ætate ſuppar fuit *Ignatius* Antiochenus Epiſcopus, & martyrii coronâ itidem clarus. Is verò in Epiſtola ad Epheſios, quæ eſt undecima edit. Paris. Græco-Latin. Guil. Morelii, p. 68: *Medicus,* ait, *noſter eſt, qui ſolus verus eſt Deus, ingenitus & inacceſſibilis, univerſorum Dominus, unigeniti verò Pater ac genitor: habemus Medicum etiam Dominum noſtrum Deum, Jeſum Chriſtum, ante ſecula Filium unigenitum atq; Verbum, poſteà autem & hominem ex Maria Virgine.* Hæc par illud Martyrum cum Clemente ſub ipſis Chriſtianæ Eccleſiæ incunabulis.

XXXIV. Ex ſeculo II. prodeat *Juſtinus,* Philoſophus & Martyr, qui in Apol. 2. quæ eſt Antoninum Pium, f. 56: *Athei,* ſcribit, *cognominamur: & profitemur quidem, nos talium, qui exiſtimantur, Deorum eſſe expertes & atheos: Sed non veriſſimi illius Dei, Patris videlicet juſtitiæ & caſtitatis. — verùm hunc ipſum &, qui ab eo venit, Filium — & Spiritum Propheticum colimus & adoramus.* Et f. 96: *Qui Filium Patrem eſſe dicunt, comperiuntur neq; Patrem ſcire, neq; Filium eſſe Patri univerſorum noſſe: qui quòd Verbum & primogenitus Dei ſit, Deus etiam eſt.* Iſta ibi & alibi plura. Eodem ferè tempore *Melito,* Sardenſis in Lydia minoris Aſiæ Epiſcopus, librum ſcripſit περὶ ἐνσωμάτου θεοῦ, *de incarnato Deo,* teſte Euſebio l. 4. c. 25. qui verò temporum injuriâ intercidit, unde peculiaria aliqua teſtimonia ex illo produci nequeunt. *Irenæus* autem, Lugdunenſis in Gallia

Episcopus & Martyr, eò plura, eaq; illustrissima, nobis suppeditabit, ex suis, quos adversus hæreses commentatus est, libris. Ita enim lib. I. c. 2. f. 51. edit. Paris. recitatâ breviter fide Apostolorum, quod nos Symbolum vocamus: *Christo Jesu*, ait, *Domino nostro, & Deo, & Salvatori, & Regi, secundùm placitum Patris invisibilis omne genu curvetur* &c. Et l. 3. c. 23. f. 290: *Quoniam neq; homo tantùm erit, qui salvabit nos, neq; sine carne. — — Deus igitur homo factus est, & ipse Dominus salvabit nos.* Item l. 4. c. II. f. 328: *Ipse igitur Christus cum Patre vivorum est Deus, qui & locutus est Moysi, qui & Patribus manifestatus est.* Tandem l. eod. c. 14. f. 331. illum Matthæi locum, n. XX. adductum, declarans: *Non ergò alius erat*, inquit, *qui cognoscebatur, & alius qui dicebat: Nemo cognoscit Patrem: sed unus & idem omnia subjiciente ei Patre, & ab omnibus accipiens testimonium, quoniam verè homo, & quoniam verè Deus.* Ita Irenæus, vergente seculô secundô.

XXXV. Et hæc Martyrum testimonia, fides, doctrina sufficere arbitror ad manifestandum Schlichtingii errorem, adeò ut mirari subeat audaciam hominis, qui Tertullianum, ceu præcipuum erronei dogmatis de S.S. Trinitate autorem, coram omnibus Ecclesiarum, per Europam, Doctoribus & Pastoribus, traducere non erubuit, quasi verò Europæi Doctores Ecclesiasticæ antiquitatis adeò rudes sint, aut simplices, ut dogma illud omni fide & autoritate apud S. Martyres & Doctores, Tertullianô longè priores, destitutum esse, ab hoc hominis sibi persuaderi patiantur. Apud Americanos Indos & Africanos Garamantes, quippe simpliciores & imperitiores populos, faciliùs fortè fidem invenisset, quò & mittendus est. Scilicet ne aut omnem

in uni-

in universum veterum autoritatem, quod sociis suis solemne est, aduncô nasô suspendere videretur; aut ut aliquam, ex ficto consensu Martyrum & Apostolicorum discipulorum, Tertullianum præcedentium, autoritatem suæ hæresi lucraretur, tale quid fingendum erat.

XXXVI. Simili figmentô in eadem causa & prisci illi hæretici, Artemo & Theodotus, usi sunt, uti ex Catholici cujusdam Doctoris fragmento, quod *Eusebius* l. 5. c. 25. recitat, apparet, cujus proinde verba, quamvis pluscula, mirè tamen dicta illustrantia, huc transscribere non piget. Ita verò illa: *Dicunt* (Artemo & Theodotus) *majores omnes, etiam ipsos Apostolos, ea sensisse ac docuisse, quæ ipsi nunc dicunt,* (nimirum Servatorem ψιλὸν ἄνθρωπον, nudum hominem esse) *servatamq́ eam prædicationis veritatem usq́ ad tempora Victoris, qui tertius decimus à Petro Romanorum Episcopus fuit: per successorem verò hujus Zephyrinum fuisse corruptam. Esset autem hoc forsan verosimile, nisi reclamarent illis primùm divinæ Scripturæ, deinde & Fratrum quorundam Scripta, temporibus Victoris antiquiora, quæ illi contra gentes pro veritate, & adversum illorum temporum hæreses conscripserunt (de Justino loquor, & Miltiade, & Tatiano, & Clemente, ac pluribus aliis) in quibus omnibus Christus Deus pronunciatur. Etenim Irenæi, ac Melitonis, & reliquorum libros, Christum & Deum & hominem confiteri, quis ignorat? Deniq́ quot sunt Psalmi & Cantica ab initio à fidelibus fratribus scripta, quæ Christum Dei Verbum, tanquam Deum celebrant & laudant? Quomodo igitur possibile est, majores ad Victoris usq́ tempora sic prædicâsse, sicut ipsi dicunt, cùm Ecclesiastica sententia per tot annos sit pronunciata ac vulgata. Et quomodo non pudet eos ad hunc modum de Victore mentiri,*

*quum*

*quum exactè sciant, Victorem hunc Coriarium Theodotum ducem ac Patrem apostasiæ hujus, quæ divinitatem Christi negat, à communione rejecisse, eò quòd primus Christum nudum esse hominem dixerat. Si namq; Victor, ut ipsi volunt, perinde atq; ipsorum blasphemia docet, sensisset, quomodo Theodotum hæresis hujus autorem rejecisset?* Hæc præcipitante seculô secundo Scriptor ille anonymus quidem, at, ut dixi, Catholicus, contra dictos hæreticos, quorum & causam & genium hic noster omninò sequutus deprehenditur. Atq; hisce contra Schlichtingium, ὡς ἐν παρόδῳ & extra institutum, dictis, finem dissertatiunculæ imponimus, aliâ occasione & tempore, DEO opitulante, elimatiorem daturi.

Soli Sapienti Deo Salvatori nostro gloria & magnificentia, imperium & potestas, nunc & in omnia secula, Amen!